



ESTOTE PARATI





Brigham Young University
Harold B. Lee Library

WITHDRAWN

3/30/06 sjs

PRÉPARATION A LA MORT


(RETRAITE DU MOIS)

IMPRIMATUR :

Friburgi Helv., die 11 Augusti 1908

† JOSEPHUS,

Episc. Lausan. et Geben.



B X
2170
- D 6
B 66 X

POUR LE JOUR DE LA
RETRAITE DU MOIS

PRÉPARATION A LA MORT

Méditations et Prières

avant et après la sainte Messe

Par le P. BOPPERT, O. S. B.

Rééditées par A. M. P. INGOLD



Paris, Librairie Poussielgue, 1908
Fribourg, Imprimerie Saint-Paul

Spec
Capam

Tout est dans la main de Dieu, de qui en tout temps (et principalement à l'âge où je suis) il faut recevoir la vie et la santé comme heure à heure, et de moment en moment, sans se rien promettre, pour la faire servir à la gloire de Dieu jusqu'au dernier soupir. Cette pensée fait passer la vie doucement, en attendant qu'il faille en partir ; ce qui, après tout, par la grande bonté de Dieu, est le moment le plus désirable.

BOSSUET.

**HAROLD B. LEE LIBRARY
RIGHAM YOUNG UNIVERSITY
PROVO, UTAH**



I

JESUS de vicina nos morte admonens



MEDITATIO

Dixit JESUS discipulis suis : *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret pater-familias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati : quia, qua nescitis hora, Filius hominis venturus est.*

(Matth., xxiv, 42-44.)

1. Terribilis est atque pertimescenda mortis hora misero

peccatori, maxime Clerico negligenti et desidioso. En, Sacerdos ! certe veniet Dominus, totius vitae tuae rationem exacturus : Dominus omniscius, qui novit omnes tuas cogitationes, locutiones, actiones, et omissiones ; Dominus aequissimus, qui justitiae rationem habet in ferenda sententia ; Dominus severus et omnipotens, qui nullis precibus ad commiserationem movetur ; cujus irae nemo resistere, cujus ultionem nemo potest inhibere ; Dominus aeternus, qui tunc in judicio sortem tuam definiet pro omni aeternitate ; qui vel praemis sempiternis, vel suppliciis perpetuis afficiet te.

2. Quocirca, Sacerdos, esto semper paratus ad adventum talis et tanti Domini. Cor tuum semper a peccato purum conserva, quia nescis qua hora Dominus tuus venturus sit accersire te ad tribunal suum. Neque mortis tuae annum nosti, neque mensem, neque diem, neque horam. Ignoras, utrum morbo, vel quonam morbi genere sis extinguendus. Nescis, an morte lenta, vel subita et inopinata occubiturus sis. O quam inconsiderate rem tuam ageres, si vel parum a recta conscientia discederes! In extrema tua valetudine magnum in timorem pervenies, nisi jam hodie viriliter incipias e vitiis tuis emergere,

atque ad majorem perfectionem tendere.

3. Quidquid hucusque boni peregeris, Sacerdos ! pro modico, pro nihilo reputa ; et cum Apostolo (*Philip.*, III.) quae quidem retro sunt, obliviscere ; ad ea vero, quae sunt priora, extende teipsum. In via perfectionis, simul ut desinis progredi, regrederis. « Vidit Jacob (*Gen.*, XXVIII.) in scala Angelos ascendentes et descendentes ; numquid stantem quempiam sive sedentem ? Non est stare in pendulo fragilis scalae : neque in incerto hujus mortalis vitae quidquam in eodem statu permanet. Aut ascendas necesse

est, aut descendas. Si attentaveris stare, ruas necesse est. Minime bonus est, qui melior esse non vult : et ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus ». *S. Bernardus.*

4. Donec adveniat vitae tuae seu martyrii tui terminus, quotidie teipsum ad novum animi fervorem exstimula. Serio cogita, Deum esse Dominum tremendae majestatis, qui servos inutiles abjicit ac condemnat. Totis viribus agoniza pro anima tua immortalis, ne gravi peccato adstricta migret e corpore tuo. Adhuc cogita, plurimos tibi hostes insidiari tanquam latrones, ut, priusquam e vivis abeas;

auferre tibi valeant acquisitos meritorum thesauros. Cave, ne majorem vitae partem dormitando vel oscitando transigas, dum interim inimici tui semper vigilant ad perniciem tuam. Denique cogita, mortis tuae horam esse vicinam et incertam.

5. Si viator in itinere moras traxit inutiles, quid agit? Quamprimum advertit, multum sibi viae, sed parum diei restare, mox iter accelerat, gressus urget, passus duplicat, factasque moras alacritate sua compensare festinat. Jam ecce, Sacerdos! longas forte moras hactenus in via virtutis traxisti. Adhuc procul abes a coelesti patria : grandis tibi

restat via : jam in occasum vergit dies vitae tuae. Cur itaque non festinas? Quare non acceleras progressum? ut quid moras trahis? Excute somnolentiam. Periculum in mora. Surge, qui dormis. Prope forsitan abes a sepulcro tuo. Noli tardare. Corpora gravia dum properant ad centrum suum, magis ac magis accelerant motum. Age, rumpe moras, quo certius ad metam pertingas.

6. « Ad finem vitae quotidie appropinquas; et extremum diem, quem tamen nescis, quam cito veniat, certus exspectas. Ideoque, Frater! horrendum examen, et inevitabile iudicium

districti Judicis ante oculos tibi ponas, et illius adventum ea conscientiae puritate et morum conversatione praeoccupare festines, quatenus in conspectu divinae praesentiae, cujus oculis omnia patent, non te culparum timor deprimat, sed laeta recipiendae pro bonis actibus retributionis fiducia imperterritum reddat. » *S. Gregor. VII. Pap.*

7. Etiam si nescias, *qua hora* venturus sis in manus Domini Dei viventis; scis saltem, *qua hora* hodie Dominus tuus venturus sit in manus tuas, et in praecordia tua. Praepara te ad hunc adventum desiderabilem, et (quoad ejus fieri potest) de-

centi hospitio JESUM tuum suscipe, ut animus tuus accendatur ad alacriorem progressum in via virtutis. Quod in extrema valetudine tua suscipere desideras, jam hodie quasi statim moriturus accipe, pretiosum aeternitatis Viaticum.



Preces ante Missam



Missae sacrificium hodie rursum offerre cogito, Pater omnipotens, aeternae Deus, ut coram coelo et terra profitear summam potestatem tuam in omnes creaturas, simulque nostram subjectionem et dependentiam. Offero

tibi hanc immaculatam Hostiam in gratiarum actionem pro beneficiis tuis toti Ecclesiae concessis, praecipue vero pro singulari benevolentia tua, qua speciatim me famulum tuum inde a puero fovisti, et tam misericorditer ad veram fidem, ad dignitatem sacerdotalem, ad aulam tuam coelestem vocasti.

Scio, Pater amantissime! duas solum esse vias ad coelum, nempe viam innocentiae, viamque poenitentiae. Quia vero (proh dolor!) ab innocentiae via procul aberravi, sola mihi poenitentiae via superest, a me continue pergenda, si cupiam felicem oppetere mortem, aeternamque consequi vitam.

Saepius equidem ad agendam poenitentiam invitasti me, bone Pater! ego autem tanquam surdus non audiebam, haerens semper in eodem luto, in eodem torpore. Post tot admonitiones ac illustrationes, post tot sacras exomologeses, semper idem mansi peccator, de incerta mortis hora minime sollicitus. Identidem peccavi, Pater! et identidem mihi pepercisti. Incolumem me servasti, centiesque me reum mortis ex innumeris eripuisti vitae periculis et incommodis. Ubique tuam expertus sum opem, et dum ubique salvus evasi, iterum iterumque peccavi, et velut undique tutus in utramque aurem dormivi. Quodsi vero

monitis tuis ac conscientiae stimulis impulsus, obdormire non poteram, et timore salutari concussus ad frugem redire statuebam; paulo post in eandem malam occasionem, in idem me periculum ultro conjeci. Et quid factum (fluite lacrymae!) ? In eundem impegi scopulum, in easdem incidi sordes ac negligentias, et ita perstiti peccator inveteratus.

Pater augustissime, cui proprium est misereri semper et parcere; tibi gratias ago pro stupenda longanimitate tua, qua tamdiu peccantem me tolerasti; suppliciter etiam oro et obtestor te, Deus misericors, ut omnia mihi delicta benigne condones.

Munda cor meum ab omnibus scelerum maculis, quo dignius hodie possim operari Sacris. Adjuva me, ceterosque mihi similes peccatores, ut deinceps ab omni peccato abhorreamus, nec unquam a conscientia recta discedamus, quo paratiores semper ad Domini Judicisque nostri adventum simus. Assidue nobis ob oculos pone vicinam mortis horam, ex qua pendet totius sors aeternitatis nostrae. *Omnipotens sempiternae Deus ! te humiliter deprecamur, ne permittas nos perire creaturas tuas, sed concede nobis vitae spatium, ut ante diem exitus nostri per veram poenitentiam, morumque emendationem, tibi omnipotenti Domino in hac*

praesenti vita placere mereamur ¹.
Memento, etc.



Preces post Missam



Beneficentiam tuam, Domine
JESU, caritatem tuam, qua tecum
me quotidie conjungis, nec ani-
mo comprehendere, nec ore
satis unquam depraedicare valeo.
Rursus admisisti me peccatorem
ad divinam mensam tuam, ibique
recreasti me mirifico amoris tui
mysterio, inaestimabili epulo,
dulcissimo aeternitatis Viatico,

¹ Ex Missa latina, sec. VII.

ut inde refocillatus, instaurato mentis ardore incipiam in stadio salutis currere. Grates tibi, Domine JESU, pro incomparabili hoc beneficio. Effice, quaeso, benignissime Salvator, ut coelestis haec Alimonia desideratum in me producat effectum. Fac, ut anima mea hoc Convivio roborata, non tantum omnem peccati umbram anxie refugiat, sed et tota virium contentione ad majorem quotidie perfectionem tendat. Sine te quid boni facere possum? Propria edoctus experientia, satis agnosco, quanta virium mearum imbecillitas sit.

Miserere mei, Domine (Ps., vi.), quoniam infirmus sum; respice

misericorditer peccata mea ut aegritudines animae meae, quibus omnino fractus et debilitatus sum. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea* : parum in me roboris est ; nutat fortitudo mea. *Et anima mea turbata est valde* : exarescit jam mentis meae vigor, resque meas emendari non video, hinc *anima mea turbata est valde*. In via sanctioniae regredior potius quam progredior, et quolibet titubo gradu ; ideo *anima mea turbata est valde*. Video, mihi jam mortis horam esse vicinam, meipsum vero piorum operum meritis vacuum, vitiis plenum, omnisque consilii inopem : hinc *anima mea turbata est valde*. Contre-

misco totus, si miseriam meam proprius inspicio. — *Sed tu, Domine, usquequo ?* Quamdiu tardabis mederi malis meis ? *Convertere, Domine, et eripe animam meam : erue me ab omnibus iniquitatibus meis, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam. Salvum me fac propter misericordiam tuam.* A morte aeterna libera me, bone JESU, non propter merita mea, sed propter infinitam bonitatem tuam. Si enim mecum iudicio contendere volueris, ipse ego prior adversum me loquar, reumque mortis sempiternae meipsum pronuntiabo.

« Tibi jam nunc confiteor, Domine JESU, cui totius aliquando

vitae meae rationem reddere debebo : tibi confiteor, quia nullum mandatum tuum a me perfecte custoditum scio. Cogitatione, verbo, et opere, me deliquisse profiteor. Sed nunc, o Domine, praevenio faciem tuam in confessione : veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore acceptabili exaudias me, et in his diebus salutis adjuves me, ut in praesenti valeam expiare peccata mea, veniamque mereri delictorum meorum, quatenus ad tremendum iudicium tuum securus ab omnibus adversarii accusationibus perveniam ¹. »

¹ Ex eadem Missa latina.

Amantissime JESU! ad adjuvandum me festina. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Dimitte ergo mihi poenitenti, quidquid peccavi in te. Non intres in iudicium cum servo tuo, qui non habet unde se defendat vel excuset. Patientiam habe in me, donec cunctas anteactae vitae noxas hic expiavero. Fac, ut incertam mortis horam diu noctuque prae oculis habeam, et tempestive me prae-parem ad adventum tuum, ne culparum mearum metus in extrema mortis hora nimium me perturbet, sed ut potius laeta recipiendae mercedis aeternae spes imperterritum reddat.

Amen.



II

JESUS

Dulce viaticum morientium



MEDITATIO

Dixit JESUS discipulis suis : *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris ; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Etc.*

(Luc, XII, 35-48.)

1. Isthac similitudine docuit Dominus, in quo consistat praeparatio ad beatam mortem. *Sint*

lumbi praecinctorum, cingulo mortificationis ac continentiae, quo expeditius in via virtutis progredi valeamus. Si pie mori desideramus, mature cuncta salutis obstacula removeamus, et terrenarum rerum cupiditates comprimamus, domitasque habeamus. — *Sint lucernae ardentes in manibus*. Inter istius seculi tenebras ne aberremus, semper retineamus lucernam fidei ac religionis catholicae. Hoc lumine qui carent, miserrime pereunt. *Lucerna ardens est Dei proximi que caritas*, quae ne unquam extinguatur, assidue fovenda est. Singulis diebus expectemus Dominum, qui nos hinc exire jubebit; *ut, cum venerit,*

et pulsaverit per invaletudinem mortiferam, confestim aperiamus ei. « Oportet nos quotidie ad emigrandum ex hac vita paratos esse, et Domini nutum expectare ». S. Basil.

2. *Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. — Justus, qui salutis suae semper invigilaverat, ingenti gaudio completur in extrema sua valetudine. Anima pia non expavescit ad Domini sui adven-*

tum, sed ineffabili fruitur solatio, dum ante exitum ex hoc mundo, videt Amorem eucharisticum in manibus Sacerdotis ad ipsam venire, tanquam dulce Viaticum aeternitatis et pignus futurae gloriae. Beati mortui, qui in Domino moriuntur! cum enim Dominus servos suos (peregrinantes in hoc exilio) toties facit *discumbere* ad divinam Mensam suam, eisque ministrat Angelorum Escam; quid ergo *ministrabit* illis in coelesti patria? Quam magnificentum erit illud convivium, quod in coelo paravit Omnipotens?

3. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora*

fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati; quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet. — En itaque, Sacerdos! horam mortis tuae nescis. Homines innumeri morte repentina correpti sunt. Forsan et tu praeter opinionem ibis in domum aeternitatis tuae: idcirco praepara te quotidie ad Domini tui adventum, ad exitum tuum. Fac modo, quae moriens facta fuisse voles. Mori, maximi res momenti est, eoquod ex ultimo vitae memento pendet omnis aeternitas. Mortis memoria plurimum valet ad devincendas tentationum illecebras. *Memorare novissima tua* (Eccl., vii.), *et*

in aeternum non peccabis. « Qui ultimam vitae suae horam, qua ex luteo habitaculo suo eximendus est, jugiter ante oculos ponit, seque vas fragile, citoque conterendum, et in pulverem redigendum, gestare meminit, poenasque impiorum et gloriam sanctorum sedula meditatione tractat ; aut vix aut raro peccat. Oportet ergo, ut mortem quotidie ante oculos nostros constituamus. » *Jonas Aurel.*

4. Ait autem ei Petrus : *Domine ! ad nos dicis hanc parabolam ? an et ad omnes ?* Dixit autem Dominus : *Quis (putas) est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super*

familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quoniam super omnia, quae possidet, constituet illum. —

Quocirca, Sacerdos! horam mortis tuae prae oculis habeas. Hodie quidem eadem hora, qua putas, Filius hominis JESUS CHRISTUS veniet, ut pascat te proprio suo Corpore et Sanguine. At aliquando, qua hora non putas, Filius Dei veniet, teque vocabit ad tribunal suum, ut ibi rationem reddas dispensationis et administrationis sacramentorum. Semper igitur esto fidelis et prudens dispensator mysteriorum Dei. Ad hodie-

num Missae sacrificium ita praepara te, ac si hodie ultima vice Sacris operaturus sis. Accipe nunc Eucharistiae sacramentum, velut extremum peregrinationis tuae Viaticum. Totus in eo nunc esto, ut quam optime comparatus accedas sacram Mensam, ne indigne percipias istud inscrutabile mysterium, in quo sanctissimum Christi Corpus, *dulce Viaticum morientium*, realiter atque substantialiter adest secundum antiquissimam Ecclesiae fidem.



Preces ante Missam



Pater omnipotens, aeterne Deus, cujus in nutu atque voluntate salutis nostrae cardo vertitur! hodie tibi offerimus sanctissimum novae Legis sacrificium, gratias agentes pro certa spe futuri aliquando felicitis de hoc mundo transitus, et secuturae glorificationis, quam ab aeterno jam decretam ac praefinitam esse pie confidimus. Inveniamus, bone Pater, gratiam in conspectu tuo, ut, quod viribus nostris obtinere non possumus, per merita JESU Christi Filii tui, et per inter-

cessionem omnium Sanctorum tuorum impetrare nos facias. Quia vero peccata nostra remoram faciunt, quo minus actiones nostrae pro coelesti gloria sint meritoriae, nobis illa clementer indulgeas. Ignosce nobis sacerdotibus tuis, quod hucusque nec fideles nec satis prudentes fuerimus dispensatores mysteriorum tuorum; et effice, quaesumus, ut saltem in posterum majori sollicitudine ministerium nostrum honorificemus. Prae-cinge lumbos nostros cingulo mortificationis ac continentiae, ut domitas habeamus cupiditates. Da nobis praeterea lucernas ardentes fidei ac caritatis, ut inter hujus seculi tenebras secure

pergamus viam salutis, et exemplo ad virtutem praeluceamus aliis. Credentibus singulis eam tribue gratiam, misericors Deus! ut quotidie parati sint ad emigrandum ex hac vita ad beatam immortalitatem. Da lethali morbo correptis, ut Eucharistiae sacramentum, *dulce Viaticum morientium*, mature, nec indigne, percipiant, et intrepide mortis horam expectent.

« Domine Deus, qui nos creasti, et in hanc vitam protulisti! qui nobis viam ad salutem ostendisti, et benigne mysteria coelestia revelasti; quique nos huic mysterio praefecisti in virtute sanctissimi Spiritus tui: placeat tibi, Domine Deus, ut

simus ministri novi Testamenti ac sacrificii immaculatum mysterium tuorum ; et admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare secundum multitudinem misericordiae tuae : ut digni simus, qui offeramus tibi munera et sacrificium pro nobis, et pro peccatis, quae populus per ignorantiam admisit. Da nobis, Domine, ut tibi cum omni metu, ac pura conscientia, hoc sacrificium incruentum offeramus. O Deus ! respice in nos, et nostrum hoc rationale obsequium intueri. Fac, ut oblatio nostra grata et acceptabilis sit per Spiritum Sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, et in requiem animarum

eorum, qui ante nos dormierunt :
ut et nos abjecti peccatores, et
indigni servi tui, digni tamen
habiti, qui ministremus sancto
altari tuo, mercedem accipiamus
fidelium et prudentium dispen-
satorum, gratiamque inveniamus
et misericordiam in die illa tre-
menda retributionis tuae jus-
tae ¹. » Memento, etc.



Preces post Missam



Summo gaudio, dulcique sola-
tio plena est anima mea, Domine
JESU ! quia te rursus mecum

¹ Ex Liturgia S. Jacobi apost.

habeo. Ingenti laetitia exultat spiritus meus in te Deo Salvatore meo. — Nunc, amabilissime Domine! nunc dimitte servum tuum in pace, dum te possideo in pectore meo. Quis mihi dabit, o Deus cordis mei, ut in amplexu tuo, in osculo pacis jam moriar? — O amoris mysterium! o res mirabilis! manducavit Dominum pauper servus et humilis! — Quo pacto dignas tibi referre poterò grates, bone JESU, pro singulari beneficentia tua, quam mihi hactenus exhibuisti, et deinceps exhibebis? — Magna sunt et inaestimabilia, quae mihi jam tribuisti: sed longe majora et plura sunt, quae in futurum

mihi promisisti. Dum enim mihi servo tuo, in terra lugenti, tam pretiosa dona quotidie ministras, quanta et qualia erunt illa bona, quae fideli servo tuo in coelesti patria ministrabis?

Diligo te, amantissime JESU! et tui solius amore detestor omnia peccata me. Vah me servum ingratum, qui tali Domino tam negligenter servio!... Heu mihi! ut quid vivo? quare tamdiu vivo, qui tam male vivo? Ideo nempe diutius me vivere sinis, Domine! ut majori cura studeam me parare ad mortem. Qua hora non puto, ex hac vita vocabis me ad tribunal tuum. Redde me tibi fidelem ac prudentem servum, qui praeparat

se ad aeternitatis ingressum, et securus expectat adventum Domini sui. Effice, precor, ut horam mortis, finemque peregrinationis meae jugiter prae oculis habeam : et qui me docuisti pie sancteque vivere, doce me pariter pie sancteque mori.

« Domine JESU Christe, Fili Dei vivi ! qui ultimo die vitae tuae in cruce pendens, ideo septem illa verba dixisti, ut illa semper in memoria habeamus ; rogo te per virtutem illorum septem verborum, ut indulgeas mihi, quidquid peccavi, per septem vitia capitalia, scilicet per superbiam, avaritiam, luxuriam, invidiam, gulam, iram, et acediam. Domine JESU ! qui

moriens in cruce dixisti : *Pater, ignosce crucifigentibus me, fac, ut et ego ex amore tui parcam omnibus mihi mala facientibus.* — Dixisti Matri tuae : *Mulier, ecce filius tuus ;* deinde discipulo : *Ecce Mater tua !* fac, ut Matri tuae me societ amor tuus et caritas vera. — Dixisti pio latroni : *Hodie mecum eris in paradiso ;* fac me semper ita vivere, ut id ipsum mihi dicas in hora mortis meae. — Et sicut in cruce dixisti : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* fac me dicere in tempore tribulationis : *Domine, parce mihi misero ;* rege me, *Rex meus et Deus meus, qui tuo sanguine me redemisti.* — Et

qui dixisti : *Sitio*, scilicet salutem animarum ; fac, ut et ego sitiam te *Fontem aquae viventis*, et toto pectore quaeram aliorum salutem. — Et sicut dixisti : *Pater*, in manus tuas commendo spiritum meum ; fac, ut et ego in hora mortis meae libere possim tibi dicere : *Domine JESU*, in manus tuas commendo spiritum meum ; recipe me venientem ad te, qui jam constituisti finem vitae meae. — In cruce tandem dixisti : *Consummatum est*, quod significabat, dolores, quos pro nobis susceperas, jam esse finitos ; fac, ut tunc egrediens anima mea audire mereatur illam dulcissimam vocem tuam : *Veni anima dilecta !*

*quia jam decrevi consummare
aerumnas tuas ; veni, ut mecum
ascendas epulari, jucundari ac
commorari cum electis meis per
infinita secula seculorum. Amen,
amen. » S. Beda.*





III

JESUS, triumphator mortis



MEDITATIO

S. Paulus apostolus ad Corinthios scripsit : *Tradidi vobis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas ; et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas ; et quia visus est Cephae, et post hoc Undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.*

(I. Cor., xv, 3-6.)

1. Fratres illi, seu discipuli quingenti, quibus apparuit Chris-

tus a morte redivivus, jam pridem morte defuncti, in terrae pulvere dormiunt ac requiescunt. *Statutum est hominibus (Heb. ix.) semel mori.* Beati, qui in Domino moriuntur : beati, qui obdormiunt in Christo. Justorum mors, somnus potius quam mors dicenda. Morte sua Dominus ita mortem devicit, ut et animae nostrae semper vivere vita gratiae, et corpora nostra suo tempore ad immortalem vitam resurgere possint.

2. *In omnibus operibus tuis, Sacerdos ! memorare novissima tua.* Frequenter recordare tam mortis quam resurrectionis tuae, quo facilius vitae praesentis in-

commoda sustineas. Ad aram memento Defunctorum, *qui praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.* Serius aut citius similiter pro te orabitur : *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N sacerdotali fecisti dignitate vigere, etc.* Forsitan unus aut alter e sacerdotibus, hodie Sacrificium ultima vice peragit.

3. « Sacrosanctum altaris sacramentum frequentatur in Ecclesia, ut justis gratiam, peccatoribus veniam, debilibus robur, moestis laetitiam, nutantibus spem, credentibus pacem, certantibus victoriam, atque defunctis conferat requiem aeter-

nam. In illo thesauri reperiuntur plurimi, munera copiosa, spirituales deliciae, mirabilia maxima, Dei-Hominis Persona. »

S. Laur. Just.



Preces ante Missam



Gubernator rerum omnium Deus, cujus imperio potentissimo tota paret universitas ; scio quidem me serius aut citius esse moriturum : innumeri enim homines ante me vita functi sunt, dormientes nunc in terrae pulvere. Eo certius tamen credo, e vita me discessurum, quia tu ipse dixisti, cunctos Adami

posteris in pulverem reversuros. Ecce, libenter amplector et approbo latam in me mortis sententiam. Accedo rursus aram, latreuticum Missae sacrificium oblaturus tibi, Pater adorande ! qui solus omnium hominum vitae, mortis, ac aeternitatis claves habes in manu tua. Offero pariter illud in adorationem unigeniti Filii tui, qui propter nos homines in cruce vitam posuit, et a morte redivivus apparuit plusquam quingentis fratribus simul, nunc dormientibus in terrae pulvere, sed aliquando evigilaturis ad vitam aeternam.

Immolo tibi, Pater, eucharisticum hoc sacrificium, in gratiarum actionem pro misericordia

tua, qua Filium tuum mortalitatis nostrae participem fieri decrevisti, ut ipse nobis solatio esset in vita et morte. Grates simul habeo tibi, Pater amatissime, quia salutarem mihi mortis metum frequenter injicis, ut avellas cor meum a vitiis, a seculi deliciis, a rebus caducis. Offero praeterea sacrificium istud. Divinae Majestati tuae, ut praeter alia dona impetrem mortis sanctae gratiam, ut omni culpa vacuus, plenus vero dierum ac meritorum operum bonorum, apponar ad patres et fratres meos, qui jam obdormierunt in Christo. Denique, cum sacrificium hoc sit propitiatorium pro vivis atque defunctis, id offero

in satisfactionem delictorum nostrorum, ut immortales animae nostrae, corporibus solutae, transire mereantur ad coelestem gloriam. Memento viv. N. et defunct. N.

Ad Christum

Utinam, mi JESU dilectissime, nunc altaris sacramentum digne suscipiam, ac si foret ultimum peregrinationis meae Viaticum. Tali nunc caritate cupio flagrare, quali tu complecteris homines. Per eundem amorem tuum obsecro te, ut tibimet ipse decentem in corde meo habitationem praeparare digneris, ne molestius ibi morari cogaris. Summa qui-

dem me terret indignitas mea : sed immensa tua clementia jubet me sperare, quin et ingens tui desiderium urget me adire mensam tuam. O quantam olim laetitiam ac consolationem attulisti quingentis fratribus illis, quibus apparuisti redivivus a morte! — Veni etiam ad me, ac consolare me fratrum tuorum minimum. Veni, JESU desiderabilis! et fac, ut debita pietate accipiam Viaticum vitae aeternae, priusquam dimittas servum tuum in pace.



Preces post Missam



Dulcissime JESU ! ex hac personali praesentia tua, non mediocrem haurio laetitiam ac consolationem. Si omnes Angelorum exercitus, si omnes etiam Electorum chori, si vel universae creaturae pro me gratias tibi laudesque tribuerent, quantum id esset pro stupenda bonitate tua, qua te sic demisisti, et me sic extulisti ? JESU melliflue ! quanta possum animi demissione magnifico caritatem tuam, quam ostendis in Eucharistiae sacramento pro utilitate Ecclesiae,

tam militantis in praesenti seculo, quam purgandae in altero. Amo et amabo te, usque ad supremum vitae halitum. Quodsi fortasse in hora mortis meae, in illa temporis angustia, fractis viribus, amoris actum elicere non possem; jam in praesenti totis animi conatibus intensissime te diligo, et diligere cupio.

Proh! quam negligens, quam ingratus fui servus erga te, Domine liberalissime! Remisso ac languido fui animo in rebus meis. Nihilominus tuum in me singularem ostendisti amorem. In hoc mihi spem dedisti, quod et gratiam mihi daturus sis efficacem, ut saltem in posterum pie vivam, et tandem in amplexu

tuo placide moriar. Ecce trado me totum infinitae misericordiae ac caritati tuae. Integrum me repono in manus tuas, o Arbiter vitae mortisque meae! Utinam mox in pace dormiam et requiescam! Quandonam evolabit anima mea e vinculis corpusculi mei? quandonam ex tristi hoc deserto transibo in domum Patris tui? quandonam educes me de lacu miseriae et de luto faecis?

O bone JESU, qui tam mirabiliter enutrivisti me a juventute mea! etiam tunc, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. In illo formidabili mortis confinio, eundem mihi largire Panem angelicum, quem mihi hodie manducandum dedisti. Concede

mihi, Domine, specialem hanc gratiam, ut, antequam ingrediar viam universae carnis, sacra Synaxi praemuniar, neque Viatico isthoc destituar, dum ex hujus mundi theatro migrandum mihi erit in domum aeternitatis meae. Tunc, o JESU suavissime! tunc infirmum me visita, et sacrosancto Corpore tuo refice trepidantem animam meam, ut in fortitudine Cibi hujus ambulem usque ad illum montem excelsum gloriae tuae, ubi sanctos fratres ac coheredes tuos (quos hic cibaveras pane lacrymarum) in perpetuum satiabis ab ubertate domus tuae. Qui vivis.





APPENDICE



Acte

de résignation à la mort

DU P. DE CONDREN ¹



Après m'être retiré aux pieds de Dieu pour me disposer à recevoir sa lumière et lui demander plus efficacement la sanctification de son nom, l'avènement

¹ *Lettres du P. de Condren. (Bibliothèque oratorienne, t. VI.)* Extrait de la lettre LXXXIV, p. 313-314.

de son règne et l'accomplissement de sa volonté pour jamais, sur moi et sur toutes les choses qui dépendent de moi, je consacre à son honneur tous les moments qui me restent à vivre, et, pour l'heure de ma mort, je m'offre en sacrifice à sa divine Majesté en la manière qui lui sera le plus agréable. J'accepte la mort comme pécheur avec toutes les circonstances de douleur et d'humiliation qu'il lui plaira d'ordonner pour la pénitence due à mes péchés, laquelle pénitence je reconnais être bien au-dessous de ce que je mérite. Comme chrétien, puisque Dieu m'a fait la grâce de l'être, je la reçois et la chéris avec toutes

les souffrances et les humiliations qui l'accompagneront, comme une portion désirable de la passion de son Fils et comme une association à sa croix et à son sacrifice, auxquels je dois prendre part pour entrer avec lui en communion parfaite. Je désire encore la mort pour honorer la Très Sainte Trinité par le sacrifice que je lui dois de moi-même en ma mort, après l'avoir servie le temps qu'il lui plaira de me donner en cette vie, puisque je suis sa créature et que je ne dois rien désirer de plus que de me consommer en son honneur. Je la supplie aussi de me faire la grâce de passer en pénitence le temps

qui me reste ; de me pardonner mes péchés ; de recevoir la satisfaction que JÉSUS-CHRIST en a faite et que j'offre en réparation d'honneur à sa divine Majesté lésée et offensée tant de fois par sa misérable créature. Je laisse, à ma dernière heure, entre ses mains mon âme qui a été si mal gardée dans les miennes, et, m'humiliant en sa présence d'en avoir si souvent mésusé, je la prie d'en disposer pour sa plus grande gloire, en sorte qu'elle puisse l'aimer et glorifier éternellement.

Ainsi soit-il.




Table des matières




	Pages
I. JESUS, de vicina nos morte admonens	7
II. JESUS, dulce viaticum mo- rientium	27
III. JESUS, triumphator mortis .	47


APPENDICE

Acte de résignation à la mort du P. de Condren	59
-------------------------------------------------------------	----





2531516



7531576

